

Avranches 232, ff. 68v-71v (after Abelard's *De intellectibus*, copied by the same hand, incomplete)

Note 4 suggests that the author was a protovocalist. Moreover, as Note 18 suggests, the author seems to know of Abelard's terminology '*status*', the Abelardian definition of genus '*sermo praedicabilis* etc', and Abelard's arguments that the *vox* is not a genus (but a genus is a *vox*). However, note 2 suggests that he did not belong himself to the school of Peter Abelard, although he is sympathetic to him.

=====

1

Quaeritur an haec divisio 'eorum quae sunt, aliud est substantia, aliud est accidens' sit sufficiens.

Quod si concedatur, tunc cum ratio/nalitas sit, oportet esse substantiam vel accidens. Si autem accidens fuerit, tunc potest adesse et abesse praeter subiecti corruptionem. Quod falsum est, quia / substantialis differentia abesse non potest quin corrumpat.

Similiter etiam cum populus sit vel exercitus vel grex, substantia vel accidens esse / necesse est. Si substantia esse concedatur, vel corporea vel incorporea; si corporea, vel animata vel inanimata; si animata, vel sensibilis / vel insensibilis; si sensibilis, animal; quod falsum esse videtur.

Solutio.

Quidam dicunt quod de quocumque verum est dicere 'istud est una / res', de eodem verum est dicere esse substantiam vel accidens. Hii tamen non concedunt rem unam debere dici quod per opus hominum habet existere / sicut domus, nec quod habet partes disgregatas sicut populus, sed hoc tantum rem unam dicunt quod naturaliter est vel partes con/tinue dispositas naturaliter habet.

Quod quam irrationabiliter agant, apertum est. Contra hoc etiam potest dici quod, si una res / sit sicut exponunt, montem cum valle et aqua, quae naturaliter sunt et partes continuas habent, unam rem concedere de/bent; et compositum ex corpore et albedine similiter; et sic esse substantiam vel accidens; si substantia, vel corpus vel aliud; si cor/pus, vel album vel non; si album, tunc albedo eadem esset pars formalis et integralis eiusdem.

Alii vero duobus modis / dicunt divisionem sufficientem esse, praedicatione scilicet et continentia secundum numerum. Praedicatione quidem, quando null[A69r]la res invenitur quae sit res divisi quin sit res alicuius dividendum. Verbi gratia: 'animalium aliud est rationale, aliud / irrationale' haec divisio est sufficiens praedicatione, quia de quocumque poterit dici 'istud est animal', de eodem statim consequetur esse¹ vel / rationale vel irrationale. Continentia secundum numerum sufficientem dicunt, quando nihil dicitur esse divisi quod sit aliud numero a

¹ esse] ee A

di/videntibus, id est quando sit res alicuius dividendum vel sit contentum in illis, quamvis praedicatio alicuius illorum illud non comitetur, ut tale sit exemplum: ‘domus alia pars paries, alia tectum, alia fundamentum’ haec est sufficiens, quia nihil invenies / quod sit pars domus quin sit vel hoc vel hoc vel aliquid contentum sub aliquo illorum sicut lapillum² vel asserem. Vel dic/tam vero divisionem sufficientem dicunt huiusmodi, accidens tamen ibi large accipitur pro forma.

Quod autem opponitur. / De rationalitate nihil valet, cum concedatur esse accidens, id est forma. Populum quoque et exercitum et gregem et domum / rem unam dicunt et substantiam et corpus inanimatum, id est non vegetatum una anima. Compositum autem ex corpore et³ / albedine, quamvis res una esse concedatur, nec praedicatio substantiae vel formae illud comitetur, non tamen est aliud / ab illis cum ex utroque conficiatur. Similiter haec divisio est sufficiens continentia ‘corpus aliud album, / aliud nigrum, aliud medio colore coloratum’, et multae aliae. /

2

De formis diversi diversa sentiunt. Quidam enim volunt omnes formas esse essentias; quidam nullas; / quidam quasdam essentias esse confirmant, quasdam non.

Qui autem formas universaliter essentias esse / volunt, si rationabiliter agant, inquirimus.

Et primum inquirendum videtur, si concesserint unum praedicari de / unoquoque, sic quod praedicatione sua unitatem inesse in illi de quo praedicabitur innuat.

Quodsi concesserint, Socra/tem habere unitatem concedere debent, cum unus sit, et unitatem Socratis habere unitatem formam sui cum / una sit, et illam aliam, et sic tanta multiplicitas fiat, quod in natura numerus occurrat. Si / autem hoc inconueniens evitare volentes, nescio quam reciprocationem facere voluerint. Fortasse / maius aut aequale inconueniens incurrent, quod scilicet velint nolint concedent idem informare diversa / vel idem informans et informatum esse ab eodem. Si enim unitas Socratis informetur ab unitate, quae mutuo / informetur ab unitate Socratis, et idem erit informans diversa et informans aliquid et informatum ab eodem. / Si autem hoc non dicant, sed tertiam informari a prima vel quamlibet subsequentium a qualibet praecedentium, ne/cesse est semper diversa ab eodem informari.

Rursus cum omnes formae essentiae sint et unumquodque unitatem / habeat et similitudinem in aliquo, videtur rationabiliter unitates plures esse similitudinibus et similitudines / unitatibus et unitates etiam unitatibus et similitudines similitudinibus. Quippe cum omnia quaecumque / sunt, similitudines habeant et unitates, oportet esse tot unitates quot similitudines sunt. Praeter haec / etiam unitates subiectarum

² lapillum] lapillulu(m) A

³ et] ex A

substantiarum similiter oportet esse, et sic unitates plures sunt similitudinibus.

Item cum unum/quodque unitatem suam et similitudinem habeat, oportet esse tot similitudines quot unitates fuerint; et prae/ter haec similitudines substantiarum subiectarum unitatibus; et sic similitudines plures esse unitatibus. Licet igitur concludere / plures esse unitates unitatibus et similitudines similitudinibus.

Quaecumque enim sunt plura aliquibus, et illa / sunt plura aliis, prima plura sunt plura eisdem.

Et hae sunt rationes quare omnes formae non debent concedi essenti/ae esse sive res.

¶ Illi autem qui non asserunt essentiam esse nisi substantias, fortasse vere virtutes et vitia et co/lores aliquid esse denegabunt. Sed quam recte id faciant, sapientes iudicent.

¶ Alii autem, qui quasdam / formas essentias esse, quasdam minime perhibent, sicut Abaelardus et sui, qui artem dialecticam non obfuscan/do sed diligentissime perscrutando⁴ dilucidant, nullas formas essentias esse approbant nisi quasdam qua/litates, quae (1) sic insunt in subiecto quod subiectum ad esse earum non sufficit, sicut ad esse quantitatum ipsum subiectum sufficit; vel (2) / partium dispositio ad invicem vel cum alio non est necessaria, sicut ad curvaturam digiti necessaria est dispositio partium ad in/vicem, et ad esse sessionis necessaria est dispositio partium subiecti et aliud ubi subiectum sedeat; vel (3) quae non insunt gratia alicuius / extrinseci ita quod sine illo esse non possent, sicut proprietates aliqua inest in aliquo, quia equum vel bovem possidet quae / nullo modo remanent destructo illo extrinseco; vel (4) ad cuius recessum non est necessarium addi substantiam subiecto, / sicut ad recessum inanimationis necessarium est addi substantiam subiecto, scilicet animam. Nullam enim formam essentiam esse asserunt, / cui aliquod istorum poterit assignari: vel (1) subiectum ad esse illius sufficere, vel (2) dispositionem partium ad invicem si/ve cum alio, vel (3) quae inest gratia extrinseci ita quod sine illo esse non posset, vel (4) ad cuius recessum necesse / est addi substantiam. /

3

Possibile est Socratem legere dum non legit.

Temporalis implicita⁵ potest esse et modalis categorica. Et tunc tribus modis / solet exponi. Uno modo quod modalitas⁶ fit in subiecto, scil. ‘Socratem legere dum non legit, est possibile’. Duobus / modis quod determinetur *possibile* per *quando non legit*: uno quidem modo in vi temporis solummodo acceptum, alio / modo etiam in vi coniunctionis. In vi temporis tantum, si accipitur: possibile est

⁴ perscrutando] p(er)scrutu(n)do A

⁵ implicita] Inph()a A

⁶ modalitas] modal(is) A

eum legere eo tempore in quo non legit / modo, quia in crastino eum legere possibile est; nec tunc sequitur *ergo non legit*, quia negatio illa non negat eum legere, sed dicit quia in eo tempore modo non legit; unde non sequitur *Socrates non legit*, sicut non sequitur *Socrates est in loco ubi Plato non est*, non tamen verum est *Plato non est in loco*, sed hoc *Plato non est in eo loco*. In vi autem coniunctionis sic: possibile est Socratem legere in eo tempore in quo non⁷ legit, sic ut in ipso non legens legat.

¶ *Possibile est Socratem legere / dum sedet.*

Non est sic exponenda quod possibile sit eum legere et sedere simul, quia non posset inde inferri / determinationis propositio, scil. quod Socrates sedet. Sed sic est exponenda: possibile est Socratem legere «... / *lacuna* ...»⁸ /

¶ Similiter diversis modis exponitur: *necesse est Socratem legere dum legit.*

Temporalis modalis, ita quod in subiecto sit modalis, sed hoc dicunt esse idem. Alio modo, ut modus determinetur sic: Socrates legit eo tempore in quo / legit, ita quod non est possibile eum legere et non legere simul. Non enim sic est exponenda, ut dicatur: / Socrates legit ita quod non est possibile ut simul legat et non. Nam iam posset vere dici: *necesse est / Socratem esse animal dum Socrates est asinus*, i.e. Socrates est animal sic quod non est possibile quod sit asinus et non animal simul. /

¶ *Necesse est quendam hominem esse animal dum est animal.*

Vera est sic: *necesse est quendam hominem esse animal dum ipse / est animal*, ita quod per ‘iste’ ad personam fiat relatio. Si vero dicatur: *necesse est quendam hominem esse animal dum quidam homo est animal*, i.e. quidam homo est ex necessitate animal dum quidam homo est animal, falsa est, quia nullus ex necessitate est animal dum quidam est animal. Sed tamen si hic sensus ibi posset esse: quidam homo est homo sic quod impossibile quin aliquis sit homo, quod non sit aliquis homo, vera esset.

¶ Cum dicimus ‘*necesse est Socratem esse corpus dum / ipse est corpus*’, si per ‘ipse’, ut quidam volunt, ad solam essentiam recurramus, falsa est. Posset enim haec essentia / quae est Socrates, ita esse corpus quod non Socrates esset corpus.

¶ ‘*Possibile est Socratem tantum esse hominem*’ tribus modis exponitur, / quod ‘tantum’ ad Socratem vel ad hominem vel ad modum referatur.

¶ ‘*Possibile est solum Socratem non esse hominem*’ vera est et falsa. /

⁷ non legit] legit n(on) et transportanda indicavit A

⁸ + lacuna longa A

Similiter vera est et falsa *'necesse est solum Deum esse substantiam'*.

¶ Solum Socratem non est possibile non esse hominem; quare / [cum] solum necesse est esse hominem. A pari.

Sunt qui aequipollentiam modalium propositionum non servant / cum determinationibus secundum .iiii. ordines simplicium. Nam cum vera sit 'non est possibile Socratem sedere dum stat', falsa est 'necesse est Socratem non sedere dum stat'.

Sed nos concedimus quod, sicut istae duae 'non est possibile Socratem sedere' et / 'necesse est Socratem non sedere' sunt aequipollentes, sic et istae duae 'non est possibile Socratem sedere dum stat' et 'necesse est / Socratem non sedere dum stat', ita quod per 'non' negativam particulam totum removeatur; vel si in una determi/natio non extinguitur, nec in alia.

In illis autem in quibus 'solum' sive 'tantum' ponitur, aequipollen/tia deficere videtur. Nam cum falsa sit 'possibile est solum Socratem non currere' in hoc sensu: Socratem possibile est non / currere, ita quod nullum alium possibile est non currere; non tamen falsa est 'non necesse est solum Socratem curre/re', quia iam esset vera sua dividens 'necesse est solum Socratem currere'. Similiter cum falsa sit 'possibile / est solum Socraem currere', ita scil. quod ad 'possibile' referatur 'solum' in hoc sensu: possibile est Socratem currere, ita / quod nullum alium est possibile currere; non tamen ista alia falsa videtur 'non necesse est solum Socratem non curre/re', quippe haec alia dividens eius falsa esse videtur, scil. 'necesse est solum Socratem non currere', quia haec videtur dicere / quod necesse sit Socratem non currere, ita quod non alium necesse sit non currere, quod aperte falsum est. Videtur itaque / quod non aequipolleant praedictae modales.

¶ Sed animadvertendum est quod, quemadmodum istae propositiones 'Socrates solum/modo currit' et 'Socrates solummodo non currit' multos generant intellectus, ita scil. quod unaquaeque plures, sic et illae / modales in quibus 'solum' ponitur cum possibili et necessario.

Haec enim propositio 'Socrates solummodo currit' duos sensus / habet, scil. quod Socrates currit ita quod non alius currit, et quod Socrates currit ita quod non aliud agit. Ista vero modalis 'pos/sibile est solummodo Socratem currere' tribus modis exponi potest, scil. (1) quod possibile est quod ipse solus ita quod non alius / currat; et (2) <quod> possibile est Socratem currere solummodo, ita scil. quod non aliud agat; et (3) quod possibile est Socratem currere ita / quod non alium possibile est currere. Itaque in hac propositione 'possibile est solummodo Socratem currere', 'solum' (1) ad Socratem / et (2) ad currere et (3) ad possibile referri potest. Similiter in ista 'non est possibile solum Socratem currere'. Sic etiam cum / aliis modis.

¶ Ista vero 'Socrates solummodo non currit' tres facit intellectus. Potest enim esse extinctiva illius quam / supraposuimus, sic: 'non Socrates solummodo currit'; et tunc (1)(2) duos generat intellectus, sicut illa 'Socrates solummodo currit'.

Et / (3) potest esse separativa in hoc sensu: Socrates non currit, i.e. caret cursu, et ita quod solus caret cursu; ut si hic / adessent .x. homines, qui omnes sederent praeter unum, posset dici 'iste solus non sedet', i.e. iste sic caret /⁹ sessione quod non alius de illis caret sessione. Et tunc (3), quando est negativa separativa, danda est ei dividens, / non affirmativa sed negativa, sic: non solus Socrates non currit. Et secundum hos tres sensus, quos habet 'Socrates solum<modo> non currit', ex/ponenda est: possibile <est> Socratem solum non currere, scil. (1)(2) possibile est ut non solummodo Socrates currat, duobus modis / intelligendo, scil. 'solum' ad Socratem et ad verbum, scil. currere; et (3) possibile 'est' ut Socrates solummodo non currat, i.e. careat / cursu et non alius.

(4) Quarta est expositio cum 'solum' ad possibile refertur, sic: possibile est Socratem solum non currere, |A70r| i.e. ita possibile est Socratem non currere, quod non alium possibile est non currere.

Et similiter .iiii. modis exponitur / 'non est impossibile solummodo Socratem non currere', quippe quemcumque sensum habeat haec propositio 'possibile est solum Socratem non curre/re', dividens eius est haec 'non est possibile solum Socratem non currere'. Similiter cum ceteris modis intellige.

At cum 'solum' / ad terminos simplicium refertur, servatur aequipollentia in praedictis, sicut et in illis ubi non est determinatio / apposita. Illud autem est notandum quod, quando negativa particula quae est 'non' separative ponitur et non extinctive, / sicut ipsa in dividente non est auferendo, sic nec etiam in aequipollente, ut cum dicimus 'possibile est solum Socratem non curre/re' in hoc sensu quem tertio posuimus, habet aequipollentem 'non necesse est non solum Socratem non currere'. Nam si possibile est ut / ipse solus careat cursu, non est necesse ut non solus careat cursu, quia si possibile est contingere ut dicit / una dividendum, non est necesse contingere ut dicit altera. Sunt autem dividentes 'solus Socrates caret cursu' / et 'non solus caret cursu'.

Quando vero 'solum' ad possibile sive ad alium modum refertur, non facile vel nunquam aequi/pollentia iuxta dispositionem simplicium servatur.

Disponamus igitur .iiii. ordines de his modalibus in qui/bus 'solum' cum possibili et aliis modis ponitur, ita quod ad modos 'solum' referatur, ut per eos videatur an aequi/pollentia ibi possit servari an ex toto deficiat. /

Possibile est solum Socratem esse hominem Contingit similiter Non impossibile est solum Socratem esse hominem Non necesse est solum Socratem non esse hominem
--

Possibile est solum Socratem non esse hominem Contingit similiter Non possibile est solum Socratem non esse hominem Non necesse est solum Socratem esse hominem
--

⁹ + [cursu] A

<p>Non possibile est solum Socratem esse hominem Non contingit similiter Impossibile est solum Socratem esse hominem Necesse est solum Socratem non esse hominem</p>
<p>Non possibile est solum Socratem non esse hominem Non contingit similiter Impossibile est solum Socratem non esse hominem Necesse est solum Socratem esse hominem.</p>

Ecce facta est dispositio ad modum simplicium modalium, sed non videtur sic positae aequipollentes. Nam in primo et secundo ordine duae / praecedentes falsae sunt, duae vero sequentes in eisdem ordinibus verae sunt; / in tertio et quarto duae praecedentes verae sunt, sed aliae duae in eisdem / ordinibus falsae sunt. /

4

¶ Nostra tenet sententia quod res est materia corporis et rationale hominis et album albi hominis.

Quodsi de rebus dicatur, / concedo sicut aes est materia statuae.

Si autem de nominibus dicatur, non concedo. Nam illud nomen solummodo al/terius nominis dico materiam, quod est maius eo in continentia, et de eo in quid est praedicatur, hoc est ad interrogationem factam per 'quid est' convenienter respondetur. Quod non habet hoc nomen 'res' neque aliquid sumptum. 'Res' ideo non respondetur / ad 'quid est', quia non esset certificatio per 'res'. Nec sumpta ideo praedicantur in 'quid est', quia non ad essentiam copulandam praedicantur / sed ad formam. Quaestio vero facta per 'quid est' de copulatione essentiae est; illa vero per quale de forma; unde / ad hanc respondentur tantum sumpta, ad illam tantum substantiva.

'Substantia' hoc nomen est prima materia huius nominis 'homo' / et aliorum suppositorum, quia est primum, id est supremum, praedicabile in 'quid est'.

Nullum enim nomen est supra substantiam quod in / 'quid est' praedicabile sit. /

5

Cum in declinatione unius verbi diversae voces sint quarum intellectus sint varii, tamen a verbo praesens aliae <voces> sumunt significationem et omnia praesens tempus notant. Nam cum dico 'legi', intelligo in tempore / quod praecessit praesens, sic cum dico 'legam', intelligitur in tempore quod erit post praesens. Et gratia temporis dicuntur praeterita / vel futura vel praesentia verba, id est praeteriti temporis vel futuri vel praesentis, licet omne verbum praesens notet. Illud / enim verbum est praesentis temporis quod ita consignificat tempus quod non notat praeteriisse vel futurum esse, illud vero praeteriti quod tempus / ut

praeteritum notat, illud futuri quod tempus ut venturum significat. Non enim propter varietatem aliorum fit ista varia/tio verborum. Nam cum dico ‘vixi’, non ob hoc dicitur praeteritum quod vitam transactum monstrem, sed quoniam tempus transac/tum notat. Et quia a praesenti cetera significationem habent, ideo iure aliis in declinatione¹⁰ praeponitur.

In praeteritis autem / verbis diversitas est, quia quaedam dicuntur praeteriti imperfecti, quaedam perfecti, quaedam plusquam perfecti, ut ‘legi’ ‘lege/bam’ ‘legeram’. Perfectum autem est absolutum; alia duo sunt relativa et aliunde pendentia, unde nec sine / aliis verbis constitutionem reddere valent. Si enim dicam ‘Socrates legebat’ vel ‘Socrates legerat’, non valet; si autem / addam ‘legabat quando vocavi’, bona est constructio. Imperfectum vero dicitur, quia in constructione positum notat / rem quidem fuisse, sed adhuc esse quando aliud contigit, ut cum dico ‘scribebam quando vocasti me’, noto / me in eo actu fuisse sed ita quod nondum praeterierat cum me vocasti. Plusquam perfectum vero notat iam/diu praeteriisse cum aliud contigit. Perfectum vero determinat tempus praeteriisse, sed neque diu neque adhuc / esse cum aliud contigit notat. Vnde aliud¹¹ imperfectum, aliud plusquam perfectum dicitur. Cum vero praesens tempus di/catur, simplex instans et etiam compositum cuius pars praeteriit, pars est in instanti, pars est futura. [A70v]

Videndum est ad quid significandum praesentis temporis verbum ponatur. Si enim pro composito praesenti ponatur, vera est haec / propositio de tacente ‘iste loquitur’; nam loquitur in eo composito quod nunc est, sicut in composito die vel anno. Si / autem pro illo praesenti quod simplex est ponatur, non videtur rationabiliter poni, cum ille qui loquitur scire, non / possit, an in illo tempore quo profert propositionem, ille de quo agit in eo tempore, ita sit sicut de eo dicitur, ut cum video aliquem / sedentem et volo de eo dicere quod sedet. Si sedet <et> ponam ad illud instans in quo loquitur, non rationabiliter facio, quia prius / non poteram scire an usque ad illud tempus mansurus esset in sessione. Praesens autem verbum ad certum poni / debet, non ad incertum. Dicimus igitur quod verbum praesentis temporis poni debet ad significandum illud instans / quod est proprinquius ante locutionem illam in qua verbum illud proponitur. Nam dum aliquem sedere videmus, ad hoc / quod scimus, postea locutionem accomodamus ut vere dicatur ‘ego taceo’. Et licet, dum loqui/mur, illud instans sit praeteriti, et verbum illud quod praeteritum est, dum profertur significet, tamen praesens tempus / dicitur significare, quia erat praesens dum locutio illa incipiebatur. Praeteritum vero tempus tunc significamus quando ver/bum pro eo ponitur quod praeteritum est dum locutio incipitur; futurum quod futurum est post inceptionem locutionis. /

Sed secundum hoc iam non erit responsio facienda per praesens verbum. Nam cum aliquis intrrogat ‘legit / Socrates?’, accomodat verbum ad praesens quod erat affinius ante suam locutionem. Respondens autem ad / [ad] idem tempus

¹⁰ declinatione] declino(n)e A

¹¹ aliud] illud A

significandum verbo uti debet. Quodsi per praesens verbum hoc faciat, tunc significabit / illud tempus quod ante quaestionem erat, non proximum ante suam responsionem. Et sic quassata est praedicta / sententia.

Si autem per verbum quod est in responsione tempus quod praecedit affinius responsionem significare / volumus, iam non ad idem tempus fiet responsio ad quod fit interrogatio. Ideoque dicitur quod per verbum praeteriti temporis / debeat responderi, ut si quaeratur ‘legit Socrates?’, respondeatur ‘tunc legabat’.

Sed forsitan potest dici / ut per idem verbum respondeatur et ex vi responsionis ad vim interrogationis reducatur. Sed secundum hoc eveni/et quod respondebitur ‘legit’ aut ‘sedet’ de eo qui tunc tacebit aut stabit, sicuti de illo qui interim sur/get cum de eo fiet interrogatio.

Puto autem ad tempus compositum praesens verbum posse poni, ita scilicet ut gratia / praesentis instantis vera sit locutio; quandoque autem ponitur *confuse*, ut non plus valeat ‘ego ambulo’ quam / ‘eo quandoque ambulo’. Unde Boethius dicit verbum [poni] ad aliud et aliud tempus poni, sicut ‘homo ambulat’ ‘homo / non ambulat’. Alio enim tempori ‘ambulat’, alio ‘non ambulat’.

6

¶ Attende quod dicimus verbum praesens in con/sequentia positum¹² significationem temporis amittere, sed ‘si’ coniunctio ibi illam significationem exercet, ut cum dico ‘*si est homo, / est animal*’, sensus est: si aliquando est homo, eodem tempore est animal; et ‘est homo’ et ‘est animal’ tantum iuncturam rei notant quam ad identitatem / temporis ‘si’ reducit. Si vero fiat ex verbis praeteritis vel futuris, tunc ipsa verba significationem temporis non perdunt nec / per ‘si’ ad temporis identitatem reducuntur.

Quando vero dicitur ‘*si Socrates non est animal, non est homo*’, sensus <non> est: si non est animal aliquando, non est / homo in eodem. Non quidem¹³ tempus retineatur (tunc enim sequeretur ‘*si nulla res est, aliqua res est*’, id est si aliquando nulla / res est, eodem tempore aliqua res est, quia tempus); nec est generalis remotio temporis, ut dicatur ‘*si nunquam est animal, nunquam est homo*’, quia / tunc non contineret istam ‘*si modo non est animal, modo non est homo*’. Sed hoc ostendit quod ad remotionem animalis <sequitur remotionem hominis>, cum quocumque tempore remo/vetur <animal, removetur> homo¹⁴ eodem tempore. Et potest dici particularis remotio temporis indefinita, ut cum dico ‘*si non habeo aliquam capam, non / habeo illam albam*’, non est sensus: si nullam capam habeo, non habeo albam capam, quia ex ista non convenienter haberetur ista a/lia ‘*si non habeo hanc capam, non habeo eam albam*’ sicut ex priori.

¹² positum] pon(it) A

¹³ quidem] q(uo)d A

¹⁴ homo] h(oc) A

Similiter in maximis¹⁵ propositionibus non est generalis remotio facienda, / ut cum dico *‘a quocumque removetur genus, et species’*, i.e. quicquid non est res alicuius generis, non est res alicuius speciei. Cuius / exemplum est *‘quicquid non est animal, non est homo’*, sicut non est Chimaera animal nec est homo. Sic etiamsi dicatur *‘quotiens aliquid non est / res alicuius generis, idem non est res speciei illius’*, nec temporis positio ibi retinetur nec generis nec alicuius. Exemplum cuius / regulae est: non est Chimaera modo animal nec modo est homo.

Sed dico non esse veram regulam nisi temporis positio ibi fiat, sicut nec istam / temporalem *‘quotiens non est deus, non est Chimaera’*, quae ideo vera non est, quia nunquam evenit non esse deum.

Et puto huiusmodi / regulas quae per negationem fiunt, potius servire eis argumentationibus quae ex separativis fiunt, quam eis quae fiunt ex / extinctivis. Tamen quia has confirmant, quodammodo illas valent confirmare.

7

¶ Nota quod quando fit haec me/dia propositio *‘si est homo, est animal; et si est animal, est animatum’*, licet iunctura animalis fiat ad tempus praecedens relative et medie / ad quodcumque tempus, non tamen est dissimilitudo, quia non fit ibi diversa iunctura neque ad aliud tempus. Non enim / diversitas eorum temporum potest assignari, sicut non possum ostendere quod animal alii et alii copuletur, cum dico *‘si / aliquis est homo, ipse est animal; et si aliquis est animal, ipse est animatus’*, et est bona media propositio ex qua coniungi / potest *‘si aliquis est homo, ipse est animatus’*.

8

¶ Sciendum est quod non omnis maxima propositio est instituta ad argumentationem con/firmandam, sed ad solam inventionem, sicut ab adiunctis et a maiori et minori.

9

¶ Maius et minus secundum / visum dicimus ad cuius probationem plures vel pauciores rationes induci possunt. Plures dico tam comparativae quam / electivae. Similia dicimus quae ex eisdem rationibus aequae recipi debent.

10

¶ Syllogismus dicitur firmus ex sola dispositione, |71r| non scilicet ex terminorum habitudine ad se invicem ¶ duci secundum cohaerentiam praedicationis

¹⁵ maximis] m. A

vel constitutionis vel causae et / effectus vel comitationis secundum existentiam vel circa rem.

11

¶ Syllogismus non est nisi concedantur praemissae propositiones. Sed est fe/stinata conclusio, cum non expectetur concessio; et dicitur enthymema, licet nulla pars desit. Et quod dicitur / enthymema cui deest pars syllogismi, non de omni neque de solo dicitur enthymemate.

Et videtur eadem argumentatio esse syllogismus et enthymema, / si eadem dicatur secundum similitudinem prolationis, sicut eadem vox profertur hodie et heri prolata est, sic¹⁶ illa argumentatio quae fit / hic ‘*omnis homo est animal, et omne animal est animatum, igitur omnis homo est animatus*’, habet propositiones concessas, et videtur habere propositiones / non concessas, cum in diversis locis fiant, et in quodam loco concedantur, in altero non concedantur; nisi qui / forsitan dicitur quod non est verum dicere de illis propositionibus qui a me concedantur; et si omnes alii eis con/tradicant quod non concedantur. Sed si duobus fiat argumentatio secundum dispositionem syllogismi, quorum alter concedat prae/missas propositiones, alter vero minime, quod fiat isti syllogismus, isti enthymema. Et fit isti enthymema cum non fiat enthy/mema.

Sed dico quod, si fit isti enthymema, vel enthymema quod fit vel enthymema quod non fit. Et si ei fit enthymema quod non fit, / tunc fit ei enthymema quod nulli fit, ergo fit ei quod non fit. Item si fit ei enthymema quod non fit, fit ei argumentatio quae non / fit; sed dicitur quod non est verum si fit ei enthymema quod non fit, fit ei quod nulli fit; neque fit ei argumentatio quae non / fit ei vel quae non fit. Et cum dico ‘fit isti enthymema quod non fit’ sensus est: fit isti enthymema et non fit enthymema, id est / «..... *lacuna*» /

12

¶ Nota quod, quando profertur aliqua propositio non ad probationem, et aliquis per eam credit aliquod dubium, non est tamen / illa propositio argumentum, quia non est ratio, id est inducta ad probationem. Item si aliquis inducat eam ad probatio/nem alterius, et alius aliquid credat per eam, dicitur argumentum, quia est ratio faciens fidem.

13

¶ Quaeritur si sit argumentatio / illa multitudo sermonum quae a diversis fit, ut cum dico ‘*omnis homo est animal*’ et alter assumit ‘*sed omne animal / est animatum*’ tertiusque concludit ‘*igitur omnis homo est animatus*’.

¹⁶ sic] sic(ut) A

Conceditur autem esse syllogismus, si concedantur praemissae propositio/nes. Sed non videtur esse syllogismus, cum sic a diversis prolata multitudo vocum ad unum effectum accom/modari non potest.

14

¶ Quaero si sit argumentatio et unde constet, cum quaero ab aliquo ‘*Est Socrates homo?*’ et respondet / ‘*Est*’, post concludo ‘*Ergo est animal*’.

Ex responsione dicitur constare, et ex eo quod concludo.

Sed tunc est argumentatio quae fit a / duobus. Quod satis potest esse, quia saepe videmus quod dictis duorum aliquid confirmatur. Et nota quod, quando dictio / reponitur, vim habet propositionis, et ex ea dictione et propositione constare potest argumentatio.

15

¶ Notandum est quod haec mul/titudo propositionum ‘*omnis homo est animal*’ et ‘*omne animal est animatum*’ et ‘*omnis homo est risibilis*’ et ‘*omne risibile est animatum*’ / ‘*igitur omnis homo est animatus*’ syllogismus non est, quia duae praecedunt superfluae.

Et nota unamquamque ibi <esse> superfluae, quia est / adiuncta illis duabus, quae sine ea inferrent illam conclusionem, nec per illam exterius adductam aliquam evidenti/am reciperent. Quod determino, quia si dicam ‘*si omnis homo est animal et omne animal est animatum, omnis homo est animatus, sed omnis / homo est animal et omne animal est animatum, igitur omnis homo est animatus*’, licet sine prima propositione hypothetica remaneret syllogismus, tamen / non est superflua, quia ibi ostendit evidenti/am, quam exterius inter illas duas et tertiam ostenderet, scilicet eas illam inferre<t>; / unde syllogismus est firmus.

Nota posse dari locum ab antecedenti in syllogismo categorico, et hanc regulam: posito antecedenti ponitur consequens. Sed hoc est antecedens et illud consequens. Quare posito illo ponitur illud, nisi quod forsitan non conceditur quod / ex illis duabus sequitur tertia; etsi etiam sequatur, non iuvat, cum similiter firma esset complexio si non sequeretur / in naturali hypothetica.

16

¶ Non est concedendum quod, si sedet aliquando, sedet, nec conversa, per destructionem con/se(quentis), quia idem est ac si diceret: si sedet in aliquo tempore, sedet modo. Sed si dicam ‘si sedet, sedet modo’ vel ‘si non sedet, modo non sedet’, / conceditur.

Et generaliter dico quod, si cum verbis adverbium temporale ponatur, quod illud verbum cui apponitur, tempus non con/significat. Si vero in consequentia cum uno ponitur et cum alio non, illud cui non apponitur ‘si’, inde tempus retinet.

Si autem / utrumque verbum sine determinatione temporali ponatur in consequentia, et sint praesentis temporis, ad idem tempus per 'si' eorum iun/ctura reducitur, ut supradictum est.

Nota quod quandoque in argumentationibus verbum praesentis temporis confuse poniur, / ut cum dicitur 'domus est bona, igitur destructio eius est mala'.

17

¶ Attende quod non melior videtur haec argumentatio 'Socrates est, ergo se/dens est' ex natura partis quam ista 'sedens est, ergo Socrates est' ex natura totius. Nam sicut verum est 'quotiens pars est, / et totum', sic etiam verum est 'quotiens totum est, et quaelibet pars illius est'.

Item cum dico 'existente toto existit quaeli/bet pars ipsius', et per hoc volo confirmare hanc argumentationem 'Socrates est, ergo haec manus est', non plus valet quam si dicam / 'haec manus est, ergo Socrates est, quia existente parte existit totum'.

Dicendum est quod per illam regulam non est confirmanda¹⁷ / illa argumentatio, quia danda est regula de toto ad partem quam exigit ad esse suum aut de essentia totius ad essen/tiam partis, sic scilicet: quotiens est essentia illa quae est totum, est illa quae est pars. Quae non confirmat hanc argumentationem / 'Socrates est, igitur haec manus est', quia illa essentia quae est Socrates potest esse, scilicet residuum ab hac manu, ita quod non erit essentia / illa cuius haec manus pars est.

18

¶ 'De quocumque praedicatur definitio, et definitum', sic exponitur de rebus: quicquid est res / definitionis, est res definiti; hoc est quicquid est illius status, secundum quem determinandum data est definitio illius, secundum quem [A71v] definitur.

Quae regula non videtur vera ubi definitio statum¹⁸ non <de>terminat; sunt autem definitiones quae statum, / sicut dicimus, non <de>terminant, ut descriptio generis et nominis et verbi. Sed forsitan dicitur quod genus est status generis, sed / non ideo est status, sicut dicerem genus esse rem generis, sed non ideo dicimus genus esse rem.

Praedictae regulae opponitur, sic. Definitio / generis est quod est praedicabile de pluribus etc, vel sermo praedicabilis etc; sed haec vox 'animal' est quod praedicatur etc; ergo <haec vox 'animal'> est genus.

Quod falsum <est>, / dicimus. Sed non servit hic regula, quia quando dicitur 'haec vox est quod praedicatur etc', non ostenditur haec vox esse res illius /

¹⁷ confirmanda] confirmando ut videtur A

¹⁸ statum] stata(m) A

definitionis, sed illud quod est res definitionis, ut si dicam ‘Socrates est [id quod est] ~~mat(e)ria~~¹⁹’, non ostendo Socratem esse rem huius descrip/tionis quod est ~~mat(e)ria~~, sed esse illud quod in se habet proprietatem ~~mat(e)riae~~. Est enim res huius descriptionis quod / praedicatur de pluribus, id de quo verum est dicere quod ipsum praedicatur de pluribus; et si diceretur quod haec vox praedicaretur de pluribus / etc, tunc ostenderetur quod haec vox esset res illius definitionis. Sed puto quod non *esse de definitione generis*, sed tantum *esse / definitionem* ‘praedicatur de pluribus’. Sed quia dictum est genus esse, propter esse sequitur quod, quia praedicatur, per esse iungi non potest. Absurdum nam/que existimo ut concedamus descriptionem de aliquo dici quod res eius non sit.

19

¶ Conceditur in nostra / sententia quod haec propositio ‘Socrates est homo’ est propositio, sed non est quod ipsa est; et est propositio, et non est quod est propositio; et hoc nomen est, et non est quod / ipsum est; et est nomen, et non est quod est nomen.

Sed sic possum concedere quod hoc nomen ‘animal’ est praedicabile de pluribus, et / non est quod est praedicabile de pluribus.

20

¶ Mirandum est quomodo vox sit genus nominis et nomen dicatur esse, cum nulla / vox sit. Et concedatur quod haec vox ‘homo’ est nomen, et non conceditur quod sit vox. Cum enim nullus loquitur, haec / vox esse nomen conceditur, quia instituta; sed non est vox, dum nullus loquitur.

Item dicitur quod hoc nomen ‘homo’ est bisyllabum, / sed tamen nulla syllaba est vel littera, et est bisyllabum et tamen duabus syllabis non constat nec duae syllabae illud con/stituunt. Cum autem dicimus ‘hoc nomen est bisyllabum’, sensus est quod institutum est hoc nomen, ut duabus syllabis sonan/tibus constet vel eius prolatio duabus syllabis perficitur.

Sed similiter potest concedi quod duabus syllabis constet. /

¶ Conceditur a nobis quod, ex quo dictiones sunt inventae, et constructio est instituta de eis statim esse propositionem, / etsi etiam nullus illas coniungat dictiones; et dicitur quod est vox, licet a nullo proferatur. Si autem dicatur / quia omnis vox ab animali profertur, intellige ‘ab animali’ indifferenter, uno scilicet vel pluribus. Sed puto quod non est / propositio donec dictiones coniunguntur nec vox, et tamen prius est instituta et significativa quam sit propositio.

Sed contra / hoc dicitur quod, si non est propositio donec ipsae dictiones in

¹⁹ mat(e)ria A, sed fortasse scriptum erratum pro alia dictione

iunctura proferantur, tunc est affirmatio quae non habet negationem; sed / omnis affirmatio habet negationem.

Ad quod respondeo quod, si de ipsis pronuntiationibus²⁰ dicatur ‘omnis affirmatio habet negationem’, / non concedo. Fit enim affirmatio forsitan cuius nunquam fiet negatio. Sed sic est intelligendum: omni affirmationi est negatio / opposita, quod quicquid affirmatur negari potest. Et hoc intelligit Aristoteles (*Periherm.* 7, p. 9.14) cum ait “contingit omne quod quis / affirmaverit negare”. Qui enim de sermonibus nos instruunt, ad hoc tendunt, ut quibus dictionibus / et quomodo iunctis loqui debeamus, ut si quis modo novam faceret affirmationem, statim scirem quae esset ei danda ne/gatio, et dicerem ‘haec affirmatio habet negationem hanc’, hoc est de istis vocibus recte fieret eius negatio. Sic Aristoteles etiam, cum ait (*Periherm.* 7, p. 11.9-10) “omni/um dividendum necesse est alteram esse veram et alteram falsam”, non ad ipsas propositiones haec retorquet, sed hoc vult dicere / quod necesse est ita esse ut potest affirmatione ostendi veluti ut negatione potest negari.

Item dicitur quod, si sit²¹ aliqua propositio, / tunc est dividens alicuius; ergo dividens illius est.

Quod non concedo. Non enim dico hanc propositionem esse dividendam / alicuius propositionis, ideo quod illa alia sit huius dividens; sed quia haec propositio affirmat vel negat, quod potest affir/mari vel negari per propositionem de eisdem sermonibus factam.

¶ Opponitur autem ad hoc quod dicitur esse propositio quando / non profertur. Omnis propositio est composita ex aliqua dictione, ergo dictio est pars propositionis, ergo dictio est / pars; sed omnis pars est res, ergo dictio est res; sed dictio non est res quando nullus profert eam.

Ad hoc respondetur quod / ‘omnis propositio est composita ex aliqua dictione’ sic est intelligendum quod in prolatione cuiuscumque, quando scilicet profertur / ipsa propositio, profertur dictio aliqua; et etiam plusquam ipsa, unde non concluditur quod modo constet inde, nec modo / sit pars propositionis dictio.

Vel aliter. Omnis propositio semper est ex dictione, quia facta est institutio, ut quandocumque profe/ratur propositio, in ea proferatur dictio. Et dictio est pars propositionis, instituta scilicet ut propositionem possit con/stituere, id est esse una pars totius prolationis ipsius propositionis. Et hinc non sequitur quod sit pars, scilicet aliquid in aliquo, / sic<ut> etiam concedimus primam esse partem diei, sed non dicimus primam esse partem nec primam esse, et dicimus diem esse modo / sed neque compositum neque simplicem.

¶ Item secundum hoc quod dicitur ‘omnis propositio est’ et conceditur quod

²⁰ p(ro)nu(n)t(iati)o(n)b(us)] enu(n)t(iati)o(n)b(us) a.c. A

²¹ sit seu fit A

omnis consequentia / est, non videtur vere posse dici ‘facio quandam consequentiam’, nam si facio consequentiam, consequentia fit; quod fit non est. /

¶ Item si facio consequentiam, vel eam quae est vel eam quae non est vel quae fuit vel quae non fuit vel quae est vel quae non est. / Si autem facio eam quae est, tunc ipsa est, et fit; sin vero facio eam quae fuit, tunc iterum erit.

Responde. Cum dico / ‘facio consequentiam’, idem est quod profero conse(quentiam); ‘ergo illa non est’, hoc est non est instituta, falsum est. Nec est contra hoc quod dicitur / ‘si fit aliquid, non est illud’, quia hoc dictum est de statu, scilicet ‘si fit alicuius status, non est illius status’; consequentia vero non est / status, quia ad hoc ut sit conse(quentia), non est necesse ut sit aliqua essentia. Cum autem facio consequentiam, non aliquid²²

²² *Cetera desunt A*